



apparatus, nam sine illo potius sollicitatur ira, quam clementia benignitas.

125. Hanc efficaciam cum lachrymis bene agnoverat David, dicens Psalm. 38. numer. 13. Exaudi orationem meam, Domine, & deprecationem meam: auribus percipe lachrymas meas. Non nudam orationem, sed lachrymis exornatam offert, ut exaudiatur. Petrus Damian. opusc. 13. cap. 12. ait: Lachrymae magnas habent voces in auribus Creatoris, quas voces ille ad Deum frequenter emiserat, quia ad obtinendum possent subtiliter noverat, qui dicebat: Exaudi orationem meam, auribus percipe lachrymas meas, lachrymae nempe in conspectu pii iudicis supplicent, & nihil hesitant, sed sic misericordiam, tamquam rem quamlibet proprii juris sibi vendicant. Adverte quod ait: Auribus percipe lachrymas meas. Lachrymae videntur, & non exaudiuntur, ut innuatur, quod oratio sine lachrymis non auditur, sed cum illis tamquam res proprii juris, auribus percipitur, lachrymae dant jus orationi, ut postulata valeat impetrare, sic misericordiam tamquam rem quamlibet proprii juris sibi vendicant.

Act. 8. num. 26. Angelus autem Domini locutus est ad Philippum, dicens: Surge, & vade contra Meridianum ad viam, qua descendit ab Ierusalem in Gazam, haec est deserta.

Num. 27. Exurgens abiit: Et ecce vir Aethiops Eunuchus potens Candacis Reginae Aethiopiae, qui erat super omnes gazas ejus, & venerat adorare in Ierusalem.

Num. 28. Et revertebatur sedens super curru suum, legens Isaiam Prophetam.

Num. 29. Dixit autem Spiritus Philippo: Accede, & adijunge te ad curru istum.

Num. 30. Accurrens autem Philippus audivit eum legentem Isaiam Prophetam, & dixit: Putasne intelligis, quae legis,

Versiones

CUM EXPOSITIONE VII.

126. Michael.

126. Vers. 26. Angelus autem Domini, ut multis placet, scilicet Michael, utpote tutelarum Ecclesiae, & ipse Angelus per se visibiliter in corpore aereo apparuit, quia res valde difficilis mandabatur, ad quam multum urget auctoritas, & majestas imperantis: Locutus est ad Philippum, non Apostolum, ut vult Albertus Magnus in cap. 12. Joan. Sed Diaconum, ut tenent omnes Patres D. Chrysostomus, Oecumenius, D. Augustinus, & sequuntur. Expositores, expleta praedicatione in Samaria ac alias gentes vult Deus splendescere lumen Evangelicum: Surge juxta loquendi modum Meridianum. Pagninus, Tigurina. Versus Meridianum Samaria unde veniebat Philippus erat ad Septentrionem.

Albert. Magn. D. Chrysof. Oecum. D. Aug.

Pagnin. Tigurina.

127. Quotuplex Gaza Civitas. Iudic. 16.

127. Quo dicitur ab Ierusalem in Gazam; nam Ierusalem erat in altiori loco, quam Gaza. Duplex fuit Civitas dicta Gaza; Altera antiqua in terra Philistinorum, ad quam captivus eratis oculis ductus est Samson Iudic. 16. numer. 21. & concussis columnis tria millia Philistinorum occidit. Ibidem, numer. 29. & hanc Gazam post bimestrem obsidionem occupans Alexander Magnus destruxit,

ac solo aequavit teste Curtio lib. 4. Altera Civitas Gaza, quae Hebraice idem est, ac fortis, adificata fuit in Perside tempore Machabaeorum, ut testatur Divus Hieronymus, ac Joseph, & fuit valde celebris non longe ab antiqua Gaza, & per hanc antiquam destructam, ac devastatam transeundum est ad novam Gazam, & ideo dicitur in Textu Via deserta ut notarunt Lyra, Cajetan. Hugo, & alii.

128. Vers. 27. Et surgens abiit, faciens sibi mandata: Ecce vir Aethiops Eunuchus, Ex Graeco Potens, praefectus; Gente Abyssinus, & alienigena religione Judaeus profelyta, de quo multa quaestione sequenti Regina Candacis: Candacis proprium nomen Reginarum Aethiopiae, ut testatur Plinius lib. 6. cap. 29. Strabo lib. 17. Eusebius lib. 2. Historiar. cap. 1. sicut & commune nomen Regum Aegypti Pharaon, & postea Ptolemeus, Regum Syriae Antiochus, Imperatorum Romanorum Caesar, traduntque Aethiopes hanc Regnam suo peculiari nomine appellari Indich. Qui erat super omnes gazas ejus. Syriacus; Qui praerat universis opibus ejus. Arabicus: Qui praefectus erat arario ejusdem Reginae, & id autem, quod dicitur adorare in Ierusalem quaestione sequenti dicam.

129. Vers. 28. Revertebatur super curru suum legens Isaiam Prophetam. Divus Chrysostomus maxime laudat diligentiam hujus, quod nec in curru, nec in itinere erat otiosus, sed lectioni deditus, de eoque sic scribit Divus Hieronymus epist. 103. ad Paulinum, & ait: Reliquit aulae regiam, & totus amator legis, Divinaeque scientia fuit, ut etiam in vehiculo sacras literas legeret. Glossa, & Hugo estimant, quod tamquam Profelytus sciret Hebraicam linguam. Lyranus ait, quod eo modo legebat Isaiam, quo soleat multi laici ex devotione recitare horas Canonicas latino idiomate, quamvis non intelligant, aptius tamen potest dici quod legebat graeco idiomate juxta lectionem septuaginta, quae tunc erat in magna estimatione.

130. Legens Isaiam Prophetam, disponebat eum Deus ad fidem, & Religionem Catholicam amplectendam, quia ut recte ait Glossa ordinaria ubicumque in novo testamento salutis narratur principium ab Isaiam sumitur testimonium.

131. Vers. 29. Dixit autem Spiritus Philippo: De Spiritu Sancto per internam inspirationem intelligunt Beda, Carthusianus, Hugo cum Divo Cyrillo Ierosolymitano. Cateches. 17. at Idacius lib. controv. D. Nissen. lib. de Baptismo, cap. 18. Caeteranus, Lorianus, Cornelius, Tyrinus de Angelo exponunt, quae interpretatio videtur aptior; nam Angelus infra numero 39. vocatur Spiritus Domini, & Angelus hic dirigebat, ac gubernabat Philippum: Adijunge te ad curru istum. Divus Chrysostomus: Adhaere curru huic. Arias: Adhaerere, quae denotant intimam appropinquationem.

132. Vers. 30. Accurrens autem Philippus. Graecus: Praecurrens, Syriacus, Cum accessisset, ad illum nempe, audivit legentem, ex quo patet, quod Eunuchus alta voce legebat ex intimo animi affectu ad percipiendum: Et dixit: Putasne intelligis, quae legis: Syriacus: An intelligis? Aethiopicus: An intelligis librum istum? Multum laudat Divus Chrysostomus prudentiam Philippi; non arguit Eunuchum; quia hoc saepe homini est durum, tamquam si diceret, quid legis, si non intelligis, sed per interrogationem: Putasne intelligis, ut ipse suam insipientiam fateatur, & doceri postulet.

QUESTIO

QUESTIO XVI.

Quare Aethiops Eunuchus venit adorare in Ierusalem, & quisnam esset?

133. Aethiopia unde dicta. Plinius.

133. Primo iste dicitur Aethiops ex Aethiopia, quae regio ita dicitur a nomine Hebraico Chan filio Noe, ut multi volunt, vel Author est Plinius lib. 6. cap. 30. Ab Aethiopo Vulcani filio, quod nomen juxta radicem graecam idem valet, ac ardeo, uro; cremor, nam facies illorum incolarum ardore solis nigrescent, ex hac regione, ubi nunc regnat Pretio Joannes, erat iste.

134. Eunuchus.

134. Eunuchus ex Syriaco idem est, ac praepositus, ex graeco idem valet, ac Princeps praefectus, proinde hoc nomen Eunuchus non solum significat spationem ex sectis, sed etiam regium ministrum; nam hi quamvis secti non essent, Eunuchi dicebantur; at hinc Eunuchum post reginam fuisse primum in regno tenet Euthymius in Psalm. 167. nam Reges Persarum, Medorum, Chaldaeorum propter multitudinem feminarum, quas habebant, Eunuchorum ministerio utebantur ad Gynaeceorum custodiam. Inde emanavit, quod quilibet Regis minister Eunuchus diceretur. An vero iste foret ex sectis, aliqui recentiores tenent, probabilius negat Lyranus quia dicitur Vir Aethiops, quod nomen importat virum vitilem.

135. Religio gentilis. Beda. Cajet.

135. Venerat in Ierusalem adorare, ex quo oritur difficultas; cuiusnam religionis esset iste? Gentilem fuisse tenent Beda, Hugo, Cajet. Lorin. Sanches; nam communiter dicitur, quod primus, qui ex gentilitate credidit, Cornelius extitit, cui D. Petrus praedicavit Evangelium Act. 10.

136. Prior sententia. D. Iren. Bellarm. Carthus. Cornel. Estius. Baron.

136. Contraria sententia mihi videtur probabilior, quod erat Profelyta, & religione Judaeus. Ita Divus Irenaeus lib. 4. cap. 40. Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice cap. 22. & hic Carthusianus, Cornelius, Estius, Monach. Baron. anno Christi 36. & dicit esse communem Patrum; quia iste venit in Ierusalem adorare in templo tempore Paschali, ut tenebantur omnes Judaei. Secundo iste venit in Ierusalem elapso uno anno a morte Christi, & proculdubio audivit multa de mirabilibus operibus Christi, ejusque miraculis, & qui ab Apostolis praedicabatur verum esse Messiam promissum in Prophetis, maxime Isaiam, & ideo ipse ibat praeter ceteris legens Isaiam.

137. Strabus. Joseph.

137. Deinde inter Aethiopes, & Judaeos magna erat familiaritas, ac cohaerentia in religione, ut testatur Strabus lib. 17. & circumcidebantur sicut Judaei, ut Author est Josephus lib. 8. cap. 4. cum se maxime jactarent esse progenitos a Salomone ex Regina Saba.

138. Matth. 15. Matth. 8.

138. Nec illud, quod dicitur de Cornelio vim aliquam habet, prius enim conversa fuit Chananaea ex finibus Tyri, & Sydonis Matth. 15. n. 22. & Centurio Romanus, cujus puerum Christus sanavit Matth. 8. n. 8. Deinde Eunuchus iste conversus est ex Judaismo, non ex gentilitate; ut Cornelius.

139. Eunuch. martyr. D. Iren. Euseb. D. Cyril. Ierosoly. Baron.

139. Iste autem Eunuchus valde illusterrimus fuit in fide Christi; nam postquam pervenit ad Aethiopiae Christum Iesum palam praedicavit, ut ex Divo Irenaeo, Eusebio, Cyrillo Ierosolymitano. Divo Hieronymo refert Baronius citatus, sicut ex Dorotheo in Synopsi, quod in Arabia Felici, & in insula Taprobana, in universaque Erythrea Evangelium praedicavit, tandemque gloriosa martyrii palma coronatus est, & ad ejus sepulchrum multa facta sunt miracula.

140.

140. In conversione istius Eunuchi adimpletum est,

id, quod ait David Psalm. 67. numer. 32. Aethiopiae perveniet manus ejus Deo. Nota illud praevenerit, prima faciet manus ejus cum Deo: In Scriptura manus dare, significat facere amicitiam, ac confederationem Threno. 5. numer. 6. Aegypto dedimus manum, fecimus amicitiam cum Aegypto, Aethiopiae perveniet manus ejus Deo, seu, ut legit Divus Hieronymus, Festinet dare manus, seu ut habent alii Codices: Accelerabit, celeriter perveniet manus, facere nempe amicitiam, ac obedientiam cum Deo. et si de omni gente Aethiopia locum exponant D. Chrysologus serm. 169. D. August. Cassiodorus, No. ster Incognitus; tamen D. Hilarius in praesenti exponit de vehementi desiderio Baptismi, quo flagravat iste Eunuchus instructus a Philippo.

141. Ait idem Regius Vates Psalm. 71. numer. 9. Coram illo proident Aethiopes, Reges Tharsis, & Insulae munera afferent, & adorabunt eum omnes reges terra; omnes gentes servient ei. Communis vox Patrum, ac Doctorum est, quod in praesenti sit sermo de communi adoratione exhibita Christo Domino auctore Opbe; nempe quod ipsum magna adorationis veneratione colent Aethiopes, Reges Tharsis, & Insulae, reges universae terrae, & omnes gentes; tamen in capite omnium ponuntur Aethiopes. Lorinus ait: Primum quaedam ex Gentibus in Ecclesia Aethiopiae fuisse, quando Aethiopiae regina Eunuchum Philippus Diaconus baptizavit. Nota quod dicitur Aethiopes proident; corpore nempe projecto in terram; At reges adorabunt, & gentes servient erecto capite, ac cervice; At Aethiopes proident toto pectore prostrati, ac procumbentes in humo in signum summae humilitatis, reverentiae, & abiectionis coram Christo exhibita.

142. Act. 8. num. 31. Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi, & sedere tecum.

143. Num. 32. Locus autem scripturae, quam legebat erat hic. Tamquam ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente sine voce, sic non aperuit os suum.

144. Num. 33. In humilitate iudicii ejus sublatum est; generationem ejus quae enarrabit, quoniam tollitur de terra vita ejus.

145. Num. 34. Respondens autem Eunuchus Philippo dixit: Obsecro te de quo Propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo?

146. Num. 35. Aperiens autem Philippus os suum, & incipientes a scriptura ista, evangelizavit illi Iesum.

Versiones

CUM EXPOSITIONE VIII.

147. Vers. 31. Qui ait: Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Syriacus: Sinon aliquis mihi fuerit dux via, Arabicus: Quomodo hoc mihi possibile; nemine me dirigente. Oecumenius: Me manu duxerit. Eunuchus intelligebat linguam, non tamen sensum verborum: Unde D. Chrysof. tam hic, quam homil. 3. de Lazaro, agnoscit in hoc Eunuchum magnum desiderium intelligendi, & ingenuam suam ignorantiam professionem. Glossa Ordinaria ait: Arguit Eunuchus illorum audaciam, qui existimant sine doctore se Scripturam divinam posse intelligere, de quo plura dicam quaestione sequenti.

148. Rogavit Philippum, ut ascenderet, nempe in curru, nam Philippus pedibus erat. Sedere secum. Aethiops.

S 3

Sedere